

Lorenz Reinhard

Principia Theologiae Comparativae Adplicatae, Qvibvs Svbiungitvr Specimen Theologiae Comparativae Moralis

Lipsiae: Apvd Car. LvdoVICvm Iacobi, MDCCLI

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1852937548>

Druck Freier  Zugang





Im Profocher yend. Supp
101d. Bz.

48. b. 91.

425

Fa-1092(100.)

Ja
de A
2st
5v
3
Sp
hu
AB
nu
ch
St
dn
nu
DB
de
ca
Sp
ha
A
P
W
9
so
W
Th
12
13
14

27) Soederlen (Christ Albert) de Christiani
Christo ex mortui sepulchro resurgenti de
Morsali ad illustrandum locum Sankt Thomae
28) Rehb (Carl Joh.) Oraculum in Euang.
Luc 1, 16-21 ex Esai 41, 1, 2 citatum de
29) Rector et Senatus Academiae Regiomon-
tanae programma utrum Deum deceat
filium suum unicum in carnem humanam misse
30) Bries (Joh Gabr) de doctrina legum Mosai-
carum praesentia Charittono opposita
31) Scherfen (Andr Christ) de litteris vocali-
bus et accenti bus in scriptura veteri
Testamenti hebraeu

PRINCIPIA
THEOLOGIAE
COMPARATIVAE

ADPLICATAE,
QVIBVS SVBIVNGITVR
SPECIMEN

THEOLOGIAE
COMPARATIVAE

MORALIS,
AVCTORE
LAVRENTIO REINHARDO,

S. S. Theol. Doctore, Ecclef. ac Dioeces. Buttstadiensis Past. primario & Superinten-
dente, Societ. Lat. Ien. & Teuton. Goetting. Collega.



LIPSIAE,
APVD CAR. LVDOVICVM IACOBI. MDCC LI.

7.

28.

27.

26.

25.

24.

23.

CELEBERRIMAE ACADEMIAE LIPSIENSIS
THEOLOGIS AMPLISSIMIS,
VIRIS MAGNIFICIS ET SVMME REVERENDIS,

D. CHRIST. FRID. BOERNERO,
D. SALOMONI DEYLINGIO,
D. IO. CHRIST. HEBENSTREIT,
D. CHRIST. AVGVSTO CRVSIO,
ET
D. IO. CHRISTIANO STEMMLERO:

A 2

Item

8.
27.
2
2
24.

Item
CELEBERRIMAE ACADEMIAE WITTEMBERGENSIS
THEOLOGIS GRAVISSIMIS,
VIRIS MAGNIFICIS ET SVMME REVERENDIS,

D. CAR. GOTTL. HOFFMANNO,
D. CHRIST. FRID. BAVERO,
D. SAM. IOACH. WEICKMANNO,
ET
D. CHRIST. SIGISM. GEORGI:

PATRONIS ET FAVORIBVS
SVIS HONORATISSIMIS,
HANC COMMENTATIONEM
QVA DECET OBSERVANTIA
DEDICAT ET CONSECRAT

D. LAVRENTIVS REINHARDVS.

LECTORI



LECTORI
CANDIDO ET BENEVOLO
S. P. D.
A V C T O R.



Theologiam Comparativam primum excoluisse D. Michaëlem Foertschium, præceptorem olim meum in perpetuum venerandum, cognitum est iis atque perspectum, qui historiae Theologiae literariae navarunt operam. Verum in generali tantum Comparativæ Theologiae pertractatione substitit, satis se dixisse ratus, dum genuina illius principia substernere ipsi per senectutis rationes licuit. Vberiolem illius tum explanationem tum adplicationem aliis reliquit. Quoniam vero nemo adhuc de excolenda *Theologia Comparativa adplicata*

A 3

cogita-

8.
27.
2.
2.
24.



cogitavit; hunc laborem lubens in me suscepi, in spem ingressus certissimam, fore, ut hæc commentatio ab omnibus theologis evangelicorum cœtui addictis benevole adprobetur. Sub finem adjunxi specimen *Theologiae Comparativæ Moralæ*, quod præstantissimorum virorum placido judicio subjiciendum esse ideo duxi, quod existimo, postero illud tempore copiosius posse deduci, si quis celeberrimorum virorum, *D. Romani Telleri & D. Siegm. Jacobi Baumgartenii*, dissertationes de *inequalitate & gradibus peccatorum*, itemque summe venerabilis *D. Jo. Georgii Walchii* eximiam dissertationem de *diversis vitæ sanctæ gradibus*, in subsidium adhibere vellet. Vale, lector benevole, meisque conatibus fave. Scripsi Buttstadii in Thuringia, ad diem XIV. Julii A. R. G. MDCCLI.



I. N. J.



I. N. J.

C A P. I.

De Theologia Comparativa generatim.



§. I.

Ad Theologiam Polemicam pertinet quoque *Theologia Comparativa*, quæ est *doctrina de necessitate cujusque veritatis theologicæ ad salutem, & de gravitate ac periculo cujusque erroris veritati oppositi, eum in finem excolenda, ut pondera veritatum & momenta errorum recte indagare, & de pace inter dissentientes concilianda vere judicare, queamus.*

§. II.

Et existere & existere debere talem Theologiam, ex clarissimis sacræ scripturæ dictis 1 Sam. XV. 22. 23. Cohel. XII. 13. Hof. VI. 6. Matth. XXIII. 23. Rom. XII. 6. 1 Corinth. II. 13. XV. 3. 4. 12. sqq. Gal. V. 4. 1 Timoth. I. 19. 2 Timoth. II. 16 sqq. Hebr. VI. 1. 2. 3. luculenter perspicitur.

§. III.

IACOBVS GAERDENIVS exeunte superiori sæculo primus adhibuit nomen *comparativæ theologiæ*; sed eadem ad evertendam puriorem theologiam turpiter abusus est. Præ ceteris nævos ejusdem dilucide commonstravit, eosque accurata lima & emendatione persecutus est, primarius academix Jenensis theologus, D. MICHAEL FOERTSCHIVS, in *controversiar. sacr. recentior. & nobiliorum nucleo*, differt.

fert. 2. p. 14. sqq. Quem secutus est clarissimus Wirtembergensium theologus D. MARTINVS CHLADENIVS.

§. IV.

Idem vir celeberrimus, D. MICH. FOERTSCHIVS, veriolem theologiam comparativam singulari studio conscripsit, in *manuductione ad theologiam comparativam, hactenus nondum excultam*, Jenæ an. 1713. 4. edita.

§. V.

Tanti viri exemplo excitati viri summe venerabiles.

1. D. GVSTAVVS CHRISTOPHORVS HOSSMANNVS, theologus Kiloniensis, an. 1732. *prima principia theologiæ comparativæ* in peculiari dissertatione exhibuit.
2. D. IO. CHRISTOPH. KOECHERVS, nuper Brunovicensium, jam Jenensium, theologus amplissimus, qui in *conspectu theologiæ universæ* cap. 4. sect. 14. p. 305. sqq. de theologia comparativa eleganter exposuit, & ratus est, hanc, quod veritates revelatas inter se comparat, *ivenicæ theologiæ* veluti partem merito subjungi.

§. VI.

Qui vilia litigia de veritatibus problematicis suscipit, vere dicitur *νοσῶν περὶ ζητήσεως* 1 Timoth. VI. 4. 5. Discrimen enim inter errores *periculosos* seu damnabiles & *innoxios* accurate constituendum esse, recte contendit laudatus D. FOERTSCHIVS lib. cit. part. 2. p. 26. sq.

§. VII.

Articuli fidei sunt partes doctrinæ verbo Dei scripto revelatæ (a). Hi primum sunt

- a. vel *mixti*, qui non solum ex revelatione, sed etiam ex lumine naturæ, cognoscuntur. e. g. *de existentia, attributis, & providentia Dei*; item *de immortalitate animæ, justitia Dei* (b) *vindicativa*.
- β. vel *puri*, qui ex sola divina revelatione cognoscuntur. e. g. *de mysterio Trinitatis, de incarnatione filii Dei, de sacramentis*.

§. VIII.

- (a) Vid. *Theologia mea Dogmatica* p. 54. sqq. editionis quartæ; & celeb. D. Jo. Ern. Schuberti introd. in *Theol. Revelat.* p. 574. sqq.
- (b) Licet dissentiat summe venerabilis D. Jac. Wilb. Feuerlinus in *comp. Theol. Dogmat. acroamat.* p. 40. & 70.

§. VIII.

Deinde articuli fidei sunt

- α) vel *fundamentales*, i. e. veritates, quæ salva salute neque ignorari neque negari possunt. Hi sunt
 - a) vel *primarii*, i. e. veritates, sine quarum notitia nemo salvari potest: suntque
 - 1. vel *antecedentes*, i. e. veritates, quarum notitia requiritur, antequam fides salvifica concipitur. e. g. *de Deo trinuno, de amissa divina imagine, de peccato, de benevolentia Dei universalis, de divinitate & humanitate Christi, de operationibus Spir. Sancti, &c.*
 - 2. vel *constituentes seu formales*, i. e. veritates, quæ immediate & proxime in fidem salvificam influxum præbent. e. g. *de merito Christi, de ordine salutis plerique, de justificatione per fidem exclusis bonis operibus, &c.*
 - 3. vel *consecutivi*, i. e. veritates, quarum notitia requiritur, ut fides salvifica conservetur. e. g. *de gratia sanctificante, & conservante, itemque de usu sacramentorum &c.*
 - β) vel *secundarii*, i. e. veritates, quarum simplex quidem ignorantia salutis non obest, pertinax vero negatio vel impugnatio fundamentum fidei labefactat. e. g. *de personarum divinarum proprietatibus characteristicis, de communicatio idioma in Christo, &c.*
- β) vel *non-fundamentales*, i. e. veritates, quæ citra jacturam salutis & ignorari & negari, saltem in utramque partem ventilari, possunt, dummodo absit pravus affectus. e. g. *de propagatione animæ, de visione Dei oculis corporeis, de forma finis mundi, de bis - mortuis, &c. (c).*

§. IX.

Duo momenta hoc loco probe ponderanda sunt:

1. Sine

- (c) Conf. b. D. Sebast. Schmidii dissert. *de artic. fidei fundament. & non-fundam.* itemque D. Hofsmanni dissertationem laudatam, nec non b. D. Jo. Ludov. Hartmanni theolog. posit. & moral. p. m. 2. 3. & celeb. D. Jo. Georg. Waichii *Etas leit. in die Dogmat. Gottesgelahrtheit* p. m. 75. sqq.

B

28.
22.
2.
2.
24.



1. Sine *analogia fidei*, quid fundamentale, quid minus sit, nosse haud possumus (d).
2. Quorum *dissensus fundamentalis* est, illi iisdem sacris uti nequeunt. Ioan. X. 4. 5. 27. 2 Cor. VI. 14 sqq. Galat. I. 8. 9. 2 Petr. II. 1. 2. Hinc omnis unio ecclesiastica, quæ veritatibus fundamentalibus adversa, falsa est (e) atque repudianda.

§. X.

Hæc duo momenta si recte ponderasset D. IOANNES FABRICIVS, ceteroquin magni vir nominis & eximiæ eruditionis gloria insignis; profecto pondera errorum, in quibus adversarii a nobis dissent, melius perspexisset, neque in sua *consideratione controversiarum* infausto syncretismo campos, portas, januas aperuisset, neque famæ suæ, præclaris meritis partæ, tantam labem adpersisset. Neque, ut probe existimo, tres isti infausti hujus sæculi pacificatores (f), *Antonius van Hardefeldt*, Anonymus qui *pacifica consilia* 1750. promulgavit, & *Io. Mich. de Loën* (g), ad tot tamque turpia *βελύγματα* fuissent prolapsi.

§. XI.

Pacem ego cum omnibus, etiam a nobis dissentientibus, libenter colo externam: quid? quod pacificæ theologiæ, veræ ac sanæ, sum studiosissimus, si salvis veritatibus fundamentalibus concordia conciliari possit & conservari. Zach. VIII. 16. 19. 1 Corinth. XIV. 33. Ephes. IV. 15. At *irenica consilia* fundamentum fidei labefactantia, justo ac pio odio prosequor: nam ad veritatis & prudentiæ Christianæ normam nihil prorsus exigunt.

CAP. II.

- (d) Vid. b. D. *Christoph. Zelleri* dissert. inaug. de *analogia fidei* an. 1677. sub præsidio b. D. *Abrab. Calovii* Wittembergæ habita.
- (e) Hanc Thesin liquido confirmavit celeb. D. *Christoph. Matthæus Pfaffius* in eximia dissertatione de *fidei Christianæ articulis fundamentalibus* pag. 28. sq. & 34. sq.
- (f) De hisce *novissimis orbis Christiani pacificatoribus* exstat celeb. D. *Jo. Christoph. Kæcheri* programma eruditissimum, Jenæ nuper evulgatum.
- (g) Optima hujus refutatio nuper cum insigni præfatione celeb. D. *Sigism. Jac. Baumgarteni* prodiit. Addi potest refutatio D. *Jo. Herm. Benneri*, theologi Gieslensis clarissimi.

CAP. II.

De Theologia Comparativa speciatim.

Sectio I.

Quæ veritates Evangelicas cum potioribus dissidentium sectis con-
fucta forsitan ratione comparat.

§. I.

Pergo ad *Theologiam Comparativam specialem*, veritates Evange-
licas cum potiorum sectarum, a nobis dissidentium, doctrinis
comparaturus.

§. II.

Doctrina *Socinianorum* penitus est perversa, & a spe impetran-
dæ salutis æternæ prorsus remota.

Nam 1. carnalem fastum & inimicitiam adversus Deum alunt, ejus-
que attributum essentielle, justitiam punitivam, temere
negant.

2. mysterium Trinitatis, sine quo neque fundamentum neque
ordo salutis cognosci possunt, præfracte negant. Qua de
re continentium errorum, quos de statu integritatis, de
statu peccati, & de statu restitutionis, fovent, noxa per
integrum errorum systema sese diffundit.

3. Naturam & indolem peccati, & peccatorum pœnas, minus
vere perspiciunt, ideoque necessitatem satisfactionis vica-
riæ perniciosè respuunt.

4. Sanctissimam Christi personam, ejusque adventum in carnem,
passionem & mortem piacularem, contemnunt.

5. Negant doctrinam de justificatione forensi per fidem in Chri-
stum, & de electione ob fidem provisam.

6. De mediis salutis, de sacramentis, de obligatione legis mora-
lis luce Evangelii collustrandæ, contemptim loquuntur.

7. Ergo omnes fidei articulos (h) fundamentales, antecedentes,
& consecutivos, malitiosè subruunt.

B 2

§ III.

(h) Vid. *Theol. mea Polemica*, tom. 3.

18.

27.

2

2

24.



§. III.

Quod ad *Arminianos* hodiernos, utpote *Socinizantes*, attinet; errant isti in *articulis fidei fundamentalibus*.

α) *antecedentibus*. e. g. de Dei æternitate (i), immensitate & decretis: item de personis S.S. Trinitatis (k): de imagine Dei & peccato (l).

β) *constituentibus*. e. g. de redemptione per Christum, de fide in Christum salvifica, &c. (m).

γ) *consecutivis*. e. g. de sanctificatione, de sacramentorum usu (n) &c.

Præterea fovent, amorem Libertinismi (o) & Indifferentismi (p) religionum. Errant itaque in iis articulis, sine quibus nec fides salvifica gigni servarive, nec conversionis, justificationis & sanctificationis, ratio consistere potest, adeoque sine quibus salus æterna obtinere nequit.

§. IV.

Progredior ad Pontificiorum (q) dogmata. Errant hi in articulis fidei fundamentalibus

α) *antecedentibus*. e. g. de Deo solo adorando, addentes cultum Mariæ & sanctorum, item imaginum & reliquiarum sanctorum: item de peccato & libero hominis arbitrio, adferentes statum purorum naturalium, vim liberi arbitrii ad conversionem & justificationis peccatorum aliquid conferentis.

β) *constituentibus*. e. g. de satisfactione Christi plenaria: de penitentia: de justificatione, &c.

γ) *consecutivis*. e. g. de sanctificatione; de sacramentis, &c.

Pax

(i) Libri mei cit. tom. 2. sect. 3. p. 384. sqq.

(k) Lib. cit. loc. cit. p. 387. sqq.

(l) Loc. cit. p. 391. sqq.

(m) Vid. b. D. *Gast. Georgii Zeltneri* breviar. *controvers. cum remonstrantibus* p. 227. sqq. & p. 326. sqq.

(n) Vid. libri mei cit. tom. 2. sect. 3. p. 401. sqq.

(o) Conf. lib. jam cit. p. 406. sq.

(p) Conf. *D. Zeltneri* lib. cit. p. 1. sqq.

(q) Conf. b. D. *Adami Rechenbergii* dissert. *de Roma irreconciliabili & Theologian meam Polemic.* tom. 1. sect. 1. cap. 6. p. 96 - - 136. & sect. 2. p. 152. sqq.

Pax igitur sacra & ecclesiastica cum Pontificiis nunquam poterit constitui. Conf. illustris *Sam. Pufendorffii Jus Feciale divinum* p. 49. 50. 51.

§. V.

Et quomodo, quaeso, optandum foret, ut pax sacra sanciatum cum Pontificiis? qui

1. sacrae scripturae lectionem vetant (r), eique traditiones, edita Pontificum, ac Tridentini concilii decreta, aequiparant (s).
2. ecclesiae caput visibile Papam Romanum, utpote infallibilem, esse adserunt: ejusque judicio & arbitrio articulorum fidei dijudicationem subjiciunt; cum tamen infallibilitas Papae neque naturali neque supernaturali modo demonstrari possit, neque is vel miraculis vel scriptis tabulis ut legatus Dei infallibilis declaratus fuerit. Quid? quod sacra scriptura 2 Thessal. II. 3 - - 13. & Apocalypf. XVII. XVIII. XIX. tum malitiam tum interitum Papae Romani praedixit.
3. articulos fidei fundamentales in Tridentino concilio, cum anathemate, damnarunt.
4. inde ab anno 1536. Protestantes quotannis, die viridium, per Pontificem Romanum execrationis & excommunicationis fulmine feriri sinunt.
5. qui octo characteres veritatis ecclesiae suae jactitant; quorum tamen nullum verum esse, ex *Theol. meae Polemicæ* tom. 1. sect. 2. p. 145 sqq. luculenter perspicitur.
6. fovent religionem, quae
 - α. impurissimos habet fontes, gentilissimum & corruptum Judaismum.
 - β. habet errores, sensim noviter excogitados.
 - γ. contradicit epistolae Pauli ad Romanos, & utriusque epistolae Petri
 - δ. ex ipsis conciliis & Juris Canonici decretis potest refutari.
 - ε. se ipsam privat certa spe salutis aeternae.

B 3

ζ. statum

(r) Conf. *Theol. meae Polemicæ* tom. 1. p. 96 sqq. & p. 152 sqq.

(s) Quod nuper denuo fecit E. R. Cardinalis, *Vincentius Ludovicus Gotti*, in libro *de eligenda inter dissentientes Christianos sententia.*

28.
27.
2
2
24.

§. statum post mortem corruptissimo modo describit. Ideo vera permanebunt verba S. R. D. *Chr. Matth. Pfaffi*, qui, *perperam faciunt, lateremque lavant, qui consiliis ivenicis operantur, quibus errores Romanensium cum veritate Protestantium connubio quodam jungant.*

§. VI.

Pervenio ad dogmata *Reformatorum*. Cum his Evangelico-Lutherani jam unam constituunt *personam politicam*, & membra sunt unius *corporis politici*, ex *pacis Westphalicæ*, decretis: quæ grato animo agnoscimus. Vtrique protestantes eandem ob causam satis obstricti sunt ad mutuam auxilium sibi invicem præstandum adversus Pontificum Romanorum machinationes: quippe qui omni studio in id incumbunt, ut utraque Protestantium pars ab illorum adseculis debilitetur. Verum consideremus nunc *Reformatorum dogmata* (t), in quibus a nobis dissentiunt.

§. VII.

Celeberrimus ille Protestantium pacificator, *Jo. Alphonfus Turretinus*, theologus Genevensis, in egregia oratione *de componendis Protestantium diffidiis* (u), adserit quidem, primaria fidei capita apud utramque Protestantium partem esse illibata; veruntamen concedit, *tres præcipuas esse, inter Reformatos & Augustanæ Confessionis* (x) *fratres, & agitari controversas, nempe*

1. *de modo præsentia corporis & sanguinis Christi in sacra cæna:*
2. *de humanæ Christi naturæ sublimitate & dotibus:*
3. *de excelsis illis circa æternam hominum prædestinationem mysteriis.*

§. VIII.

Quod ad decretum *prædestinationis æternæ* attinet; perpendant, quæso, Reformati,

i. doctri-

- (t) Controversias secundarias, quas in *Theol. Polem.* tom. 2. p. 292 sqq. paucis attingi, lubens hic prætermitto silentio.
- (u) Exstat tom. 1. *Opuscul. varii generis* p. m. 373. sqq.
- (x) Cur, quæso, Lutheranos, in oppositione, nominat *Aug. Confessionis fratres*? cum ipsi Reformati velint esse *Aug. Confessionis* socii; quod tamen in peculiari dissertatione *b. D. Gottl. Wernsdorffius* negavit.

1. doctrinam Evangelico - Lutheranorum de universali Dei gratia & de universali Christi merito

α) niti effatis scripturae clarissimis.

a) Jes. 5, 3. 6. Ezech. 33, 13. Joan. 3, 16.
Rom. 5, 18. 1 Tim. 2, 4. 2 Petr. 3, 9

b) Hebr. 6, 6. 10, 29. 1 Tim. 4, 10. 2 Petr. 2, 1 - 5. 1 Joan. 2, 1. 2.

β) necessario pertinere ad systema religionis perfectum. Nam

a. congrua est perfectionibus Dei infinitis.

b. congrua est naturae hominum morali.

c. congrua est genuino ordini salutis.

d. divinis promissionibus & comminationibus vim suam suumque robor addit.

e. justitiam & aequitatem judicii extremi tuetur.

2. Jo. *Calvini* absolutum praedestinationis decretum

α) pugnare cum principiis sanae rationis. Nam

a. tollit attributa divina, quae sunt infinita & perfectissima: & Deo *προσωποληψίαν* temere tribuit.

b. tollit libertatem voluntatis humanae, ideoque justitiam omnium divinarum remunerationum ac poenarum.

c. labefactat divinas promissiones, comminationes, adhortationes & dehortationes.

β) pugnare cum sacra scriptura. Matth. 18, 11. Joan. 12, 47. 48. Ephes. 1, 4. 5. 2 Thess. 2, 13. 1 Petr. 1, 1. 2. 3.

γ) demere verbo Dei efficaciam.

δ) impedire praxin vitae Christianae.

ε) eripere solatium poenitentibus.

ζ) ducere partim ad securitatem partim ad desperationem.

η) demere nobis certissimam doctrinam de characteribus electorum.

θ) privare nos certitudine de impetranda salute aeterna.

ι) gignere plures errores maxime peniciosos,

a. de gratia Dei irresistibili, contra Jerem. 7, 23. Matth. 23, 37. Luc. 7, 30. Act. 7, 51.

b. de operationibus Spiritus S. ad fidem producendam non omni homini obtingentibus, contra Luc. 8, 5 sqq. Joan. 5, 39. Act. 13, 46. 17, 31. Rom. 1, 16. 17. 1 Cor. 1, 21 sqq.

c. de

28.

27.

26.

25.

24.

- c. de inamissibilitate fidei in regenitis, contra Ezech. 18, 26. Hebr. 6, 4 sqq. 1 Corinth. 10, 10. 1 Petr. 2, 20. 21. 1 Timoth. 1, 18 sqq.
3. In Deo plane non posse existere decretum aliquod absolutum.
- Nam *a*) decretum Dei est actus voluntatis liberrimæ, quo Deus, consideratis circumstantiis, aliquid vult agere vel non agere.
- β*) Deus nihil decernit, quod perfectionibus divinis non sit consentaneum.
- γ*) in omni decreto divino non potest non esse ratio objectiva.
4. Præscientiam in Deo esse cognitionem futurorum, ut talium, & Deum ab æterno omnia intuitive cognovisse. Inde sequitur,
- a*) ut præscientia Dei nullam prorsus necessitatem eventuum rerum prævisarum inferre possit: cum sit actus intellectus
- β*) ut Deus ab æterno præciverit ac præviderit vel fidem vel incredulitatem finalem hominum.
- γ*) ut prædestinatio ab æterno facta sit, habito vel fidei vel incredulitatis respectu.
5. Sine agnitione gratiæ Dei universalis, meriti Christi universalis, & operationum Spiritus Sancti in cordibus hominum, fidem salvificam neque gigni neque conservari posse: ideoque dissensum inter nos & Reformatos adhuc esse fundamentalem. Id quod ipse *D. Christoph. Matth. Pfaffius*, mitissimi vir ingenii, consensus est in *dissert. irenica de influxu dogmatis de prædestinatione*, thes. IV. p. 11. Quis enim est, qui nesciat? doctrinas de gratia Dei, de merito Christi, de operationibus Spiritus Sancti, esse articulos fundamentales. Joan. III, 16. 1 Joan. V, 7. 8.

§. IX.

Comparemus porro inter se nostram & Reformatorem doctrinam de communicatione idiomatum in Christo. Nonne mediator & sponsor generis humani debuit esse *θεῖον ἄρωπος*, (*γ*) præstiturus fati-

(*γ*) Conf. dissert. mea inauguralis *de characteribus sponsoris generis humani*, sect. I §. 3 — 10.

fatisfactionem infinitam? Id quod tum sana ratio agnoscit (z), tum sacra scriptura Rom. IX. 5. Joan. I. 14. testatur. Ergo persona Christi est *συνθετος*, in qua natura divina filii Dei, cum adsumta humana natura, per unionem personalem (a) arctissime & indivulse conjuncta est. Ergo ex unione personali fluit communicatio naturarum fluit communicatio idiomatum: (b) sine qua Christi satisfactio non potuisset habere valorem infinitum, non potuisset nobis acquirere beatitudinem infinitam. Ergo doctrina de communicatione idiomatum in Christo est articulus fundamentalis. Ergo etsi is fidem habere possit veram, qui unionem personalem & meriti Christi valorem infinitum credit, licet communicationem idiomatum ignoret; ille tamen fundamentum fidei facile subruit, qui doctrinam de idiomatum communicatione, in dicto illo classico Joan. I. 14. (c) & in aliis scripturae effatis fundatam, aut temere negat, aut hostiliter (d) impugnat.

§. X.

Reliquum est, ut nostram & Reformatorum doctrinam, de praesentia corporis & sanguinis Christi in sacra caena, inter se comparemus. Confessus est quidem *Jo Alph. Turretinus* laudatus (e), *corpus & sanguinem Christi vere exhiberi in sacra caena*; sed in alia omnia abeunt etiam recentiores Reformatorum theologi, *Nicol. Gurt-*

(z) Vid. celeb. *D. Frid. Adolphi Lampii* compend. *Theol. Naturalis* p. 175 sqq.

(a) Ipse *Jo. Alphonf. Turretinus* confitetur lib. cit. p. 397. *unionem duarum in Christo naturarum, personalem concipiendam esse ἀρπικτος, ἀσυχυτος, ἀδιαρίτος, ἀχωριστος, & Christum esse omniscium, omnipotentem, praesentem ubique, & divinis omnibus attributis exornatum. Ipse D. Nicolaus Gurtlerus, vir acerbissimi ingenii, in forma sinorum verborum p. m. 341. (edit Amstelod. 1711.) exinanitionem Christi ait fuisse occultationem divinae majestatis & gloriae sub velo carnis imbecillae. Ergo indirecte confitetur, in Christo esse, ex parte humanae naturae, *κοινωνίαν τῶν θεῶν.**

(b) Conf. b. *D. Godofredi Hoffmanni* *Theol. Dogmat.* p. 496 sqq.

(c) Ex hoc dicto, praecuntibus clarissimis Danicae theologis, *D. Jano Bircherodio* & *D. Joanne Wandalino*, tria genera communicationis idiomatum copiose deduxit in *Observat. sacr.* part. I. celebratissimus Lipsiensium theologus sacrorumque antistes, *D. Salom. Deylingius.*

(d) Hoc de argumento peculiaris exstat dissertatio b. *D. Joan. Fechrii.*

(e) Lib. cit. pag. 391.

Gürtlerus (f), Jo. Henr. Heideggerus (g), & Frid. Adolphus Lampius (h).

§. XI.

Ponderent, quæso, Reformati, doctrinam Evangelico-Lutheranorum de vera & reali corporis & sanguinis Christi in sacra cœna præsentia

1. niti firmissimis argumentis theologicis, copiose a me indicatis tum in *Theologia Dogmatica* p. 291 sqq. tum in *Theol. Polemica* tom. 2. p. 266 sqq.
2. niti communionem naturarum & communicationem idiomatum in Christo (i), ceu fundamento.
3. niti vel philosophico argumento. Nam humana Christi natura est *non-suppositum*, quia non habet (k) propriam ὑπόστασιν. Ergo ubi est divina natura, ibi etiam est humana, quæ subsistit in ὑποστάσει τῆς λόγος. Nam unio personalis ἀδιακρίτως persistit.
4. confirmari
 - α) ex adsumptione humanæ naturæ in ὑπόστασιν filii Dei. Coloss. II. 19.
 - β) ex eo, quod Christus sese nunquam abdicavit usu communicatæ omnipræsentiae. Joan. III. 13.
 - γ) ex ascensione Christi, quæ nobis non subtraxit invisibilem ejus & majesticam præsentiam. Matth. XXVIII. 20. Ephes. IV. 10.
 - δ) ex sessione Christi ad dextram Patris, quæ denotat ejus communionem secundum humanam naturam, in omnipotenti & omnipræsenti regimine tum mundi tum ecclesiæ. Ephes. I. 21. Rom. VIII. 34. 1 Corinth. XV. 25.

5. præ-

(f) Lib. cit. pag. 422 sqq.

(g) Im Marc und Kern der heil. Gottesgelahrtheit, pag. 507 sqq.

(h) In der Erläuterung des Heidelbergischen Catechismi, pag. 303 sqq.

(i) Vir maxime reverendus, L. Frid. Ern. Hasselius, Hala Svezus, in dissert. sua inaugur. Altdorfii an. 1744. habita, de *communicat. atque communionem idiomatum in Christo ceu fundamento præsentia realis corpor. & sanguin. Christi in sacra cœna* hoc argumentum plenissime exhaustit.

(k) Vid. celeb. acad. Ien. professoris, Car. Gotth. Mülleri, dissert. de *idea suppositi ritæ determinanda.*

5. præbere solatium succi plenissimum. Fidelis enim conviva inde hoc infert argumentum:

Quam certo idem corpus in cibum salutarem mihi datum est, quod Christus pro me tradidit, & eundem sanguinem bibi, quem Christus pro me effudit: tam certo Christi justitia est mea justitia, Christi meritum meum meritum, Christi sanctitas mea sanctitas, & Christi regnum gloriæ mea hæreditas.

Quod solatium neque ipse *Joannes Calvinus* in *Commentar.* 1 Cor. XI. fol. 240. negare ausus est.

§. XII.

Immo ex his omnibus colligant, quæso, Reformati, dissensum inter illos & Augustanæ Confessionis socios adhuc esse fundamentalem. Id quod magni viri, *D. Jo. Gerbardus* & *D. Gottlibius Wernsdorffius*, in peculiaribus dissertationibus comprobarunt ac demonstrarunt. Denique illos rogo, ut celeb. Theologi Berolinensis, *Lamperti Gedickii*, concionem Germanicam de *præsentia corporis & sanguinis Christi in sacra cæna* studiose perlegant.

Sectio II.

Quæ veritates Evangelicas cum potioribus dissidentium sectis nova ratione comparat.

§. I.

Inter officia Christianorum erga se ipsos (1) eminet quoque *circumspectio in rebus fidei*, 1 Joan. IV. 1. Hæc in eo consistit, ut dogmata eorum, qui a nobis dissentiunt, sub examen recte vocemus. Explorandum est itaque, utrum dogmata aliorum

1. sanæ rationi prorsus contradicant?
2. in sacra scriptura fundamentum habeant?
3. gloriam Dei illustrent?
4. fundamento fidei nitantur?
5. peccatoribus tristitia adfectis solatium porrigant?
6. veram pietatem adjuvent?

C 2

§. II.

(1) Vid. *introductio mea apodictica in Theol. Moralem* p. 77 sq.



§. II.

Hujus explorationis formam quemlibet adprobaturum esse confido, si judicio polleat. Ingrediamur ergo viam semel indicatam, & tum aliorum tum nostra dogmata inter se comparemus.

§. III.

Verum dogma non contradicit genuinis sanæ rationis principiis.

Atqui

1. doctrinæ Socinianorum, & Arminianorum Socinizantium principia rationis (m) evertunt.
2. opinio Pontificiorum de cultu imaginum & reliquiarum sanctorum fictitiorum, item de transsubstantiatione, pugnat cum principiis sanæ rationis, & cum judicio sensuum.
3. opiniones Reformatorem de gratia Dei particulari, & absoluto Dei decreto, pugnant cum principiis sanæ Theologiæ Naturalis.

Ergo hæc dogmata non possunt esse vera.

§. IV.

Verum dogma debet habere fundamentum certum in sacra scriptura. Atqui

1. Pontificiorum opiniones de communione sub una sacrae cœnæ specie, de sacrificio missæ, & reliquæ, fundamento scripturæ destituuntur.
2. Socinianismus nihil fundamenti habet in sacro codice.
3. Reformatorem negatio communicationis idiomatum in Christo pugnat cum perspicuis scripturæ effatis.

Ergo hæc dogmata non possunt esse vera.

§. V.

Verum dogma gloriam Dei illustrat. Atqui

1. Torus Socinianismus gloriam Dei obscurat.
2. Pontificiorum opiniones de adoratione Mariæ, angelorum, & sanctorum, gloriam Dei obscurant.
3. Reformatorem sententia de gratia Dei particulari infinitas Dei perfectiones imminuit.

Ergo

(m) In *Theol. mea Polemica* tom. 3. pag. 488 sqq. exstat peculiaris commentatio de Socinianismo veris sanæ rationis principiis contradicente.

Ergo hæc dogmata non possunt esse vera.

§. VI.

Verum dogma fundamento fidei nititur. Atqui

1. Socinianismus fundamentum fidei penitus evertit.
2. Pontificiorum opiniones de Maria mediatrice, de justificatione per opera, de satisfactione operis, fundamentum fidei subruunt.
3. Reformatorum opinio de merito Christi particulari fundamentum fidei labefactat.

Ergo hæc dogmata non possunt esse vera.

§. VII.

Verum dogma peccatoribus tristitia adfectis præbet solatium.

Atqui

1. Socinianismus, utpote merus Naturalismus, expers est omnis solatii.
 2. Pontificiorum opiniones de intentione ministri ecclesiæ in baptismo, de incertitudine salutis, de purgatorio, solatium Evangelii corrumpunt.
 3. Reformatorum negata gratia Dei universalis, & negatum meritum Christi universale, solatium pœnitentibus eripiunt.
- Ergo hæc dogmata non possunt esse vera.

§. VIII.

Verum dogma sinceram pietatem adjuvat. Atqui

1. Totus Socinianismus ad probitatem morum nihil confert.
2. Pontificiorum opiniones de attritione in pœnitentia, de opere operato, de dubia fidelium perseverantia, praxin veri Christianismi impediunt.
3. Reformatorum opiniones de gratia irresistibili, & de fide inamissibili, tum primordium tum progressum pietatis subruunt.

Ergo hæc dogmata non possunt esse vera.

§. IX.

Hanc Theologiæ Comparativæ adplicatæ methodum ego didici ex verbis Salvatoris mei: ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεθε αὐτὰς, *ex fructibus eorum cognoscetis illos*, Matth. VII. 16. Per fructus enim hoc loco non fructus vitæ, sed *fructus doctrinæ*, debere intelligi, dudum monuerunt *Martinus Chemnitius, Aegidius Hun-*

nus, Philippus Jacobus Spenerus, Salom. van Till, Joannes Piscator, Christianus Stockius, & complures alii. Conferantur meæ Observationes philologico - exegeticæ in Evangelium S. Matthæi pag. 35.

C A P. III.

Exhibens specimen Theologiæ Comparativæ Moralis.

§. I.

Celeberrimus Tübingensium theologus, D. Christoph. Matthæus Pfaffus, in dissertatione supra laudata de articulis fidei fundamentalibus p. 24 sqq. his usus est verbis:

Cum fides (quæ creditur) sit ἐπίγνωσις ἀληθείας πρὸς εὐσεβείων, patet, eo magis aliquid fundamentale cognituque necessarium esse, quo major ejus ad hominis conversionem efficiendam, & ad pietatem in animo gignendam, est necessitas.

Ergo existere quoque ait articulos fundamentales practicos. Ergo existunt etiam hæreses practicæ.

§. II.

In periculoso versatur errore, qui non sedulo explorat, an ipse in beato sanctificationis statu sit constitutus? Quod dum probe dispicere cupit, sciat,

1. si virium spiritualium aliquod incrementum in se deprehendat, & in ἀσκήσει spirituali pergat, versatur in statu sanctificationis.
2. si angores conscientiae, extra statum tentationis, non amplius sentiat, neque sub peccati dominio adhuc constitutus sit, fidemque vivam habeat, fructuum pœnitentia dignorum genitricem, justificatum se dicere potest post seriam pœnitentiam, ideoque conversum & regeneratum.
3. si vere conversum se & regeneratum esse sentiat, particeps factus est illuminationis perfectæ & complete salutaris.

§. III.

Parum pius est, qui, fallacia naturæ gratiam imitantis adductus, actus animales speciose bonos, qui tamen, pro temperamenti indole, naturales tantum mentis corporisque facultates principium agnoscunt, putat actus esse spirituales, per fidem in se productos: aut qui pugnam rationis & appetitus sensitivi, quam in se animadvertit, putat esse luctam carnis & spiritus.

§. IV.

§. IV.

Fortitudine spirituali destituitur, qui tentationibus tum theoreticis tum practicis non studet strenue resistere, easque, instar regis spiritualis, devincere.

§. V.

In praxi vitæ sanctæ parum perget, qui

1. gratiam Spiritus S. cooperantem & conservantem precibus sibi non quotidie expetit:
2. verbum Dei non diligenter contemplatur:
3. fœderis baptismalis est immemor:
4. sacra eucharistia rarius utitur:
5. normam legis divinæ haud sedulo respicit:
6. *conscientiam antecedentem* minus recte consulit, antequam actiones suas suosque labores suscipiat:
7. in pœnitentia quotidiana non ambulat.

§. VI.

E contrario pius est & sanctitati veræ studet, qui

1. peccata & interna & externa evitat:
2. peccata voluntaria fugit, & ab involuntariis sibi cavet:
3. non solum mala omittit, sed etiam bona opera committit.
4. & *propria* peccata & *participata* evitat:
5. officia erga Deum præponit officiis erga seipsum, & officia erga seipsum præponit officiis erga alios:
6. in officiis erga alios, tum erga alios singulos tum in certis societatibus, præscriptum iustitiæ præponit normæ decori.
7. Actiones suas metitur ad normam prudentiæ.
8. mavult injuriam sibi illatam ferre patienter, quam aliis inferre injuriam.
9. in imitatione Christi suam defigit industriam.
10. spretis rebus terrestribus ad cœlestes sese convertit meditationes.
11. de quatuor *novissimis* diligenter cogitat.
12. in rebus adversis ex *theologiæ paracleticæ* capitibus mentem suam reficit.
13. ex unione cum Deo mystica, ex ebrietate spirituali, & ex prægustu vitæ æternæ, summam percipit voluptatem.

§. VII.

Quo quis majorem habet veritatum sacrarum notitiam, eo magis



gis ad vitam sanctam obstrictus est. Quo quis in majori munerum ac dignitatum luce est constitutus, eo vehementius obligatus est ad præbendum aliis, quod imitemur, pietatis exemplum.

§. VIII.

Quo quis majori tum facultate tum opportunitate beneagendi gaudet, eo culpatus peccat, si illam negligat. Quo quis est a viribus spiritualibus instructior, aut beneficiis divinis cumulatus ornat, eo graviolem incurrit reatum, non edendo specimina probitatis.

§. IX.

Quo quis propius ad alios pertinet, aut hos ad se pertinere intelligit, eo gravius ad beneficia iis præstanda obstrictus est. Quo quis certiores habet sanctitatis causas impulsivas, eo major eum impellit obligatio ad vitæ sanctæ studium.

§. X.

Quo quis meliorem de conscientia recta habet cognitionem, eo majorem in culpam irruit, si agat secundum conscientiam erroneam aut scrupulosam.

§. XI.

Quo quis plura corporis membra, plures animi facultates, majoresque utriusque partis vires, ad exercitium virtutum confert, & quo quis fortiorem earundem contentionem virtutibus impendit; eo magis se in studio sanctitatis præclare profecisse declarat.

§. XII.

Quo quis melius pietatem veram manifestat, eo certius habet characteres electorum. Quo quis fortius præmunitur a relapsu in pristina peccata: quo quis largius illuminatione unctionis locupletatur: quo quis ad devincenda peccata & ad exercendas virtutes cumulatus corroboratur; eo certior redditur de sua in fide perseverantia continua.

§. XIII.

Quo quis altiores sanctitatis gradus in hac vita attingit, eo insigniores adipiscetur gradus gloriæ in vita cœlesti.


F I N I S.


S.


D.

G.













giam vitam sanctam obstrictus est. Quo quis in majori munerum ac
lum luce est constitutus, eo vehementius obligatus est ad præ-
liis, quod imitentur, pietatis exemplum.

§. VIII.

majori tum facultate tum opportunitate beneagendi
patius peccat, si illam negligat. Quo quis est a viribus
ductior, aut beneficii divinis cumulatus ornatu, eo
gratum, non edendo specimina probitatis.

§. IX.

ad alios pertinet, aut hos ad se pertinere intel-
ligit, eo gratia iis præstanda obstrictus est. Quo quis
certiores habet causas impulsivas, eo major eum impellit
obligatio ad virtutum.

§. X.

Quo quis majori conscientia recta habet cognitionem, eo
majorem in culpa. Quo quis majori conscientiam erroneam
aut scrupulosam.

Quo quis plura cogitationes puras animi facultates, ma-
joresque utriusque partis virtutum confert, &
quo quis fortiolem earundem virtutum impendit;
eo magis se in studio sanctitatis efficere declarat.

Quo quis melius pietatem vult, eo certius habet
characteres electorum. Quo quis fortius a lapsu in pri-
stina peccata: quo quis largius illuminatur, quo quis locupletatur:
quo quis ad devincenda peccata & ad excedendum cumulatius
corroboratur; eo certior redditur de sua perseverantia con-
tinua.

§. XIII.

Quo quis altiores sanctitatis gradus in hac vita
igniores adipiscetur gradus gloriæ in vita.

F I N I S.

S. D. G.

